

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Omnia Divini Platonis Opera

Plato

Venetiis, M.D.LVI

Alcibiades II. vel, de voto

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-254](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-254)

cit viro, non solum puero, regi à meliore, quàm regere. A L. Apparet. s o c. Nonne quod melius est, idem et pulchrius? A L. Sic est. s o c. Quod pulchrius decetius? A L. Quidni? s o c. Decet itaque malum seruire: melius enim est. A L. Decet. s o c. Seruilius ergo prauitas. A L. Apparet. s o c. Liberalis aut virtus. A L. Ita est. s o c. Nonne, o amice, seruitus fugienda? A L. Maxime quidem, o Socrates. s o c. Aduertis quò te nunc habeas? utrum libere, an contra? A L. Et maxime quidem, ut mihi uideor, hoc sentio. s o c. Nostine quo pacto id quod nunc te occupat, fugare queas? nolim enim istud in claro homine nominare. A L. C. Noui equidem. s o c. Quomodo igitur? A L. Si ipse uolueris, o Socrates. s o c. Haud rectè loqueris Alcibiades. A L. At quomodo dicendum est? s o c. Si Deus uoluerit. A L. Dico equidem, atq; hoc insuper addo, periculum esse, ne figuras inuicem mutemus, tuam quidem ego induens, tu autem meam fieri enim non potest, quàm ego te deinceps ducam, tu autem à me ducaris. s o c. O generose, nihilo igitur meus in te amor à ciconia differt, si posteaquam propè te velut in nido amorem allatum fouerit, ab illo iterum nutriatur. A L. Profectò sic se res habet, & incipiam hinc iam iustitiam meditari. s o c. O quàm te perseuerare uelim. Timeo autem natura tua diffidens, huiusq; ciuitatis vim intelligens, ne ea me simul ac te vincat.

ALCIBIADES II.  
VEL, DE VOTO.

MARSILII FICINI  
ARGUMENT.



VONIAM secundus Alcibiades liber profectò sanctissimus de voto inscribitur, summam colligendum est, quid votum, quid in voto petendum, & quando, & quomodo. Diffinitio voti partim ab Orpheo, partim à Platone sumpta hæc est: Votum est ardens affectus casti animi, deo deditus, & quod bonum videtur exoptans. tunc affectui Zoroaster & Orpheus suffumigationes & characteres adhibuerunt, quoties ad secunda numina preces dirigerentur: Mercurius ac Plato, cum supremi numinis maiestatem venerabatur, externas oēs ceremonias auferebant, solam ac puram flagrantiam animi reliquentes. Sed de his omnibus in nostris cōmentarijs diligentius. In voto petendum Plato vult bonum: idq; ex eo patet, quod petitionem hanc poeta Lacedæmoniorumq; testimonio comprobatur, eamq; tutam & prudenti esse putat, vortumq; huiusmodi, & à quolibet & semper fieri posse. Petitionem uero certi cuiusdam & proprii boni tunc demum esse securam, cum prudentiam quis fuerit consecutus, alias autem periculosam. Vbi multa de prudentia disserit, quæ tu vir omnium prudentissime Cosme lege obsecra diligenter, ut quanti faciat prudentiam, prorsus agnoscas. Vniuersalis ergo precatio, qua bonum solummodo petitur, semper fieri potest: propria uero, qua certum aliquid quod bonum videtur optatur, tunc faciendæ, cū quid petendum est quis nonerit. Tunc id noscet, cū quid bonum, quid malum est, intellexerit. Id intelliget, cum à mente didicerit. Discet, cum se ad illam conuerterit. Cōuertet, cum purgauerit animam tenebrasq; expulerit. Purgabit, cum seipsum legitime philosophia dederit. Tradet, cum suam ignorantiam recognouerit. Nosce ergo teipsum, templo Apollinis est inscriptum, ne quis temere. Deum oraturus accederet. Quo autem ordine in oratione propria sit orandum, Mercurius in orationibus suis, & in suis hymnis Orpheus, & Pythagoras in carminibus aureis docuerunt, quorum ritus alijs exponemus. Plato deinde hos theologos imitatus, in libro de pulchritudine orantē sic Socratem introducit. O amice Pan atque cetera numina, date obsecro, ut intus pulcher efficiat: quacunq; & mihi extrinsecus aducent, intrinsecus sint amica. Sapientem solum diuitem putem. Tantum uero huius auri tradite, quantum nec ferre, nec ducere alijs quam vir temperans possit. Quid petit Socrates? Bonum. Quod bonum? Sapientiam,

Quid uotū.

Quid petendū in uoto.

Oratio Socratis ad Deos.

hoc est ueritatis diuine cognitionem, quam dare solus Deus potest, quam accipere solus animus pulcher, id est temperatus, purus, candidus ualet, Quid possit in primis? ut dignum sapientia faciat. Temerarū nempe hominis est, minus aliquod quo indignus est petere. Quis diuina sapientia dignus? qui lumen eius ferre paratus est. qui paratus? qui per continentiam primo, deinde per temperantiam, postremo per sanctimoniam, id est ciuilem, purgatoriam purgatiq; uirtutem animi, sic animum expauerit, ut pulcher, hoc est purus omni no nitidusq; euaserit: & uirtutem iam exemplarem, diuinam scilicet sapientiam solam, utpote thesaurum omnium diuitiarum optauerit. Idcirco Socrates Deum patrem oīum & ministros eius amice aspirare precatur, ut illorum benigno proprioq; fuitore purgatus euadat. Corporea uero & externa leuiter pertransit, eligens illa sic se habere, ut tranquillam puritatem animi non impediant. Deinde pulchritudine hac iam parata, optat ut sapientiam solam, hoc est dei cognitionem esse opulentiam omnem sufficientiamq; æstimet, solamq; sitiat. Postremo quasi per antè dicta paratus fulgidum hoc aurum diuine sapientie postulat. Neque id superbè, neque remisè tamen. Minimam quippe ueritatis cognitionem intemperati homines sortiuntur, summam & infinitam in seipso Deus amplectitur: magnam uero & amplā uir temperans adipsit. Tantum igitur huius auri postulant, quantum solus ferre uir temperans ualet. Hoc equidem esse aurū ignium arbitror, quod emendum Ioum in Apocal. præcepit.

SOCRATES.  
ALCIBIADES.



EVMNE, o Alcibiades, præcaturus accedis? A L. Et maxime quidē, o Socrates. s o c. Tristitiam quandā præ te ferre uideris, et oculos in terrā figere, tanquā aliquid ipse tecū cogitans. A L. At quid cogitem, o Socrates? s o c. Maxima, ut mihi uide-

Occasio dia logi.

tur: nā dic per Iouem obsecro, nonne putas deos eorum, quæ uel priuatim, uel publice precamur, nonnunquā concedere partim, partim negare, atq; id his quidē annuere, illis uero minime? A L. Oī no quidem. s o c. Nonne igitur tibi uideatur magna providentia opus esse, ne quis seipsum fallat, dū magna petit mala, credens bona se petere: Dij aut in eo sint, ut rogantibus annuant? quemadmodū Oedipum ferūt obsecrasse Deum, de regno paterno, ut filij ferro decerneret. Cumq; debuisset presentium tum malorū auersionē postcere, alia insuper imprecabatur. Vnde ad eum euentum ista uenerūt, atq; ex ijs alia multa et grauia, quæ referre singula nequaquā opus est. A L. At tu furentem quidem hōiem in exemplū adduxisti: nam quem putas sanæ mentis hōiem audere talia petere? s o c. Insanire nonne contrariū est ei quod est prudentem esse? A L. Prorsus. s o c. Nū, ex hōibus, alijs prudentes esse, alijs imprudentes uidentur? A L. Uidentur sanè. s o c. Age itaq; cōsideremus qui nam isti sint. Esse. n. alios quidē imprudentes, alios uero prudentes, nonnullos insanos, nam cōuenit. A L. Conuenit. s o c. Præterea bene ualentes aliqui sunt. A L. Sunt. s o c. Agrotantes alijs. A L. Oī no. s o c. Non ergo ydem sunt. A L. Non certè. s o c. Sūntne alijs quidā qui neutrum istorū patiātur? A L. Nequaquā. s o c. Necessè est. n. hōiem uel agrotare, uel nō agrotare. A L. Uidentur. s o c. De prudentia uero et imprudentia idem iudicas? A L. Quō dicis? s o c. Hominē aut prudentem, aut imprudentē, aut tertium præterea uelut mediū quiddam esse oportere putas, quo nec prudēs, nec imprudēs sit? A L. Nihil profectò. s o c. Necessè igitur alterū istorum pati. A L. Apparet. s o c. Recordaris cōcessisse te insaniam prudentia contrariā esse? A L. Equidem. s o c. Et mediū nullam rem quæ hōiem nec prudentem, nec imprudentem efficiat? A L. C. Consensit quidem. s o c.

Negat Platō esse medium inter sanum et ægrum. Inter prudentem et imprudentem.

Quin

Quinetiam duo esse eidem rei contraria quo pacto possunt?

ALC. Nullo. SOC. Imprudentia igitur atq; insania idē esse videntur. ALC. Videntur. SOC. Si ergo oēs imprudentes insanire dixerimus, recte dicemus, & ex tuis aequalibus, necnon atate maioribus quicunq; sunt imprudentes insanos esse. Nonne putas per paucos esse in hac vrbe prudentes, imprudentes plurimos, quos insanos appellas? ALC. Equidem. SOC. An censes nos tutos inter hos insanos ita versari, quin ab eis percuntiamur, ac verberemur, & quacunq; furiosi facere consuevere patientes, iam dudum pœnas non fuisse daturos? Sed vide, o beate, ne aliter se res habeat. ALC. Quo pacto se habet, o Socrates? Apparet. n. non ita esse, vt putaram. SOC. Non certè, vt mihi videtur, sed hoc fortasse pacto cogitandum est. ALC. Quonam? SOC. Dicā tibi. Ponimus aliquos ægrotantes esse, necne? ALC. Omnino quidem. SOC. Nunquid necessarium opinaris oēm ægrotum cruciari duntaxat podagra, vel febris, vel lippitudine? An et posse alijs morbis affici, cum multa sint morborū species præter istas? ALC. Sic mihi videtur. SOC. Oīs lippitudo morbus tibi videtur. ALC. Mihi certè. SOC. Et oīs morbus et lippitudo? ALC. Non mihi quidem, nescio tamen quid asseram. SOC. Si dicenti mihi mentem adhibeas, & ambo simul inuestigemus, ferè quod volumus consequemur. ALC. Adhibeo, quā maxime possum. SOC. Nonne conuenit inter nos lippitudinem oēm esse morbum, non oēm tamen morbū lippitudinē esse? ALC. Conuenit. SOC. Et rectè quidē consensisse videmur. Et enim febricitantes ægrotant oēs, non tamen quicunq; ægrotant, et febricitant, vel podagra aut lippitudine afficiuntur. Sed oē quidem hmoi cōter morbus est: differre aut medici dicunt illorum curationem: non. n. oēs, aut similes sunt, aut similiter pertractantur, verum secundum vim propriam singuli, morbi tamen sunt oēs. Quē admodum opifices aliquos esse ponimus. nonne? ALC. Prorsus. SOC. Et cerdones, & fabros, sculptoresq;, & quamplurimos alios, quos referre singulos nihil opus est, quīue partes opificij discretas habent: ac oēs quidem opifices sunt, non tamen fabri oēs, neq; coriarij, neq; sculptores, at cūcti generatim opifices. ALC. Sic est. SOC. Eadem quoq; rōne imprudentiam inter se plurimi partiuntur, & qui maiore sortiuntur imprudentiæ partem, insani futentesq; vocantur: qui verò aliquanto minorem, stolidi, atq; attoniti. Qui aut honestioribus vocabulis eadem significare volunt, partim quidem magnanimos appellat, partim ineptos: quidā non malos, innocuos, & inexperis, & stupidos. Inuenies quoq; alia multa noīa, quibus eībus imprudentia significatur. Discrepant aut, vt in superioribus discrepare apparuit, ars ab arte, & a morbo morbus. Tibi verò quid videtur? ALC. Idipm. SOC. Sed vt redeamus vnde digressi sumus, propositum fuit i disputationis exordio, qui prudentes, quīue imprudentes essent diiudicare. Conuenimus aut tales aliquos esse, nonne? ALC. Conuenimus. SOC. Prudentes existimas quicunq; agēda dicendāq; cognoscunt? ALC. Equidē. SOC. Imprudentes eos qui neutra vidēt? ALC. Eos ipsos. SOC. Nonne qui vtrāq; hæc ignorant, seipsos lateat, & agētes & loquētes quæ non oportet? ALC. Apparet. SOC. Ex his hōibus vnum, o Alcibiades, Oedipum esse dicebā. Reperies quoque nostris temporibus plurimos non ita con-

scitos, vt ille, nec qui mala se, sed bona potius exoptare putent. Ille siquidē vt non optabat, ita nec putabat. Sunt verò nonnulli, qui horū contraria patiuntur. Reor equidem te primū, si fortè Deus ille ad quem exorandū accedis, sese oculis offerens, te priusquam aliquid obsecreres, interrogaret, satī sne tibi sit. Atheniensium dominatu potiri, quod si hoc quiddam exiguū astimares, adderet & Græcorum oīum, & si viderit te neq; istis et acquiescere, nisi totius et Europa adiciat, neq; id quidē tibi sufficere nisi eadem die sentiant oēs. Alcibiadem Clinia filium dominum esse, atq; ideo hæc tibi concederet oīa: reor inquā ab eote ingenti cum lætitia rediturum, ac si maxima bona esses feliciter consecutus. ALC. Arbitror, o Socrates, & quēcunq; alium, quisquis eandē sortē assequeretur. SOC. Vitam verò tuā, an cum Græcorum oīum, atq; et barbarorum regione & dominatu cōmutares? ALC. Nō vt opinor, quippe cum nullo modo vsurus essem. SOC. Quid si vsurus quidem sis, male tamen, & cum nocumeto. Neq; sic quidē? ALC. Non profectō. SOC. Cernis ergo tutū non esse, aut q̄ offeruntur, temere acceptare, aut optare, si quis propterea incōmoda subiturus sit, vel vitā protinus amissurus. Multos aut referre possemus, qui cum tyrānidem affectassent, dumq; illa potirentur ardēt studio contendissent, vt potē bonū aliquid adepturi, propter tyrānidē circūuenti insidijs perire. Puto et audiuissese te nonnulla heri ac nudius tertius, vt dici solet, gesta, cū Archelaū Macedonū tyrannū tyrānidis amante delicias, aliquis huiuscemodi delicias non minus, quā ille sitiens interfecit, vt tyrānus mox beatusq; futurus. Cū verò triduū, aut quadriduū tyrānide potitus esset, rursus ab alijs ex insidijs & ipse oppressus perijt. Vt aut referamus q̄ non ex auditu percepimus, sed ipsi nos presentes inspeximus, vides insuper ex nostris ciuibus quicunq; p̄fecturam exercitus affectantes nacti illam sunt, partim et his tēporibus exules oberrare, partim morte dānatos esse. Et si qui forsitā in extremis periculis, & timoribus strenue rem gessisse visi sunt, non modo in ipso exercitu, verū etiam postquam in vrbe rediere, non minoribus ab insidiatoribus ciuibus, quā a militibus calumnijs affecti sunt, vt pleriq; illorū optauerint deniq; se priuatos vixisse potius, quā in publico munere. Quod si pericula & labores hmoi, aliquam nobis vtilitatē afferrent, profectō hoc studiū nonnihil rōnis haberet. Nūc verò longe cōtrā res se habet. Inuenies p̄terea eodem pacto nonnullos hōes, qui filios votis exoptant: at cū filios adepti sunt, in calamitates doloresq; maximos incidunt. Nā pleriq; cū nati per oēm et atem improbi perseuerēt, vniuersam vitā mœrore cōficiunt. Qui verò probos filios nacti aduerso quodā casu illis orbantur, nihilominus, quā superiores illi miseri sunt, vt prorsus eligerent, nunquam se filios genuisse. Et quamuis hæc atq; alia multa hmoi manifesta sint, rarò tamen inueniretur, qui vel a datis abstineret: vel si orando impetraturus esset, votum omitteret. Per multum etiam, neq; a quæsita tyrānide, neq; a parta prætura, neq; ab alijs innumeris, q̄ cum possidentur, ledūt potius, quā proficiunt, discederent, quin potius orarent sibi illa cōcedi, si quando non adsint. Interdū breue post ips præterita vota damnant, ad contraria recurrentes. Quamobrem vereor equidem, ne homines temere deos incusent, quasi mala ab ys inferantur: ij verò seu proteruitate

Agitur de qualitate rationis.

Non esse tutū oblata temere acceptare.

Cratenam intelligit.

Vni nō posse esse duo contraria: sed si cōtraria, duo sūt

Plura genera imprudentiæ esse.

Prudentes qui.

quadam, siue infipientia sibi ipsi dolores morte acriores pariunt. Quare prudens mihi videtur poeta ille qui amicis infipientibus vsus, dum eos videret & agentes & orantes, quae illis minimè conducebant, cum tamen eis vitia viderentur, pro omnibus sic ait: Iupiter rex optima quidem nobis & iuuentibus, & non iuuentibus tribue. Mala autem poscentibus quoque abesse iube. Recte igitur & caute loqui poeta mihi videtur: tu verò si quid habes in animo, quod aduersus haec proferas, ne sileto. ALC. Difficile est, o Socrates, in ijs quae bene dicta sunt, contradicere. Illud autem cogito, quantum malum sit hominibus ignorantia: quandoquidem propter hanc nos laetet, cum malè quid agimus, & quod deterrimum est, ob eam pessima nobis quandoque praecuramur, quod quidem nemo putaret. Sed illud quilibet opinaretur, posse videlicet se sibi ipsi non pessima, sed optima petere: hoc enim reuera execrationis cuiusdam non voti simile esset. SOCR. At fortè, o optimè, diceret quispiam te simul ac me sapientior, haud satis rectè nos loqui, dum sic temere ignorantiam vituperamus, nisi haec adiciamus, quae nã & quorum ignorantia sit. Quibusdam namque, certò modo affectis bonum fortè est ignorantia, quemadmodum alijs malum. ALC. Quid autem? Est ne quicquam, quod alicui quomodocumque se habenti ignorare aliquando praestet, quam cognoscere? SOCR. Mihi sanè videtur, nunquid & tibi? ALC. Non per Iouem. SOCR. Enimverò nec illud te aduersus matrem patrassè vnquam velle iudicabo, quod Orestem, & Alemaona, & siqui tales fuere, commississe ferunt. ALC. Bene ominare per Iouem, o Socrates. SOCR. Non decet, o Alcibiades, eum qui inquit, te nolle ista fecisse, iubere vt bene ominetur, sed potius si quis contraria diceret. Postquam facinus tam horrendum tibi videtur, vt ne pronunciarì quidem facile debeat, putas Orestem, si prudens fuisset, & quid bonum sibi nouisset, scelus tantum ausurum fuisse? ALC. Non certè. SOCR. Neque alium vt arbitror vllum. ALC. Nullum. SOCR. Malum igitur vt videtur ignorantia optimi, & quod optimè est ignorare. ALC. Mihi sanè videtur. SOCR. Nonne & illi, et cateris omnibus? ALC. Fateor. SOCR. Consideremus praeterea & hoc, si in mentem tibi melius esse putanti, subito veniat, Periclem tutorem atque amicum tuum interficere, ac sumpto gladio ad fores illius properans interrogares nuntius sit, volens illum duntaxat, nec alium quenquam occidere, domestici autem illum intus esse responderent. Neque dico te quicquam homini conari, sed an videatur tibi, quod quidem nihil prohibet, ignorantia quid sit optimum, adesse posse interdum opinionem, vt iudices quod est pessimum, nonnunquam optimum esse. An non tibi videtur? ALC. O non quidem. SOCR. Ergo si domum ingressus, vidensque illum opineris alium esse, nunc ipsum perimeres? ALC. Non per Iouem, vt mihi videor. SOCR. Non enim quem fors offerret, sed quem statueras, nonne. ALC. Profecto. SOCR. Num & si frequenter facinus aggrediare, semper autem ignorares Periclem esse, vnquam in eum irrueres? ALC. Nunquam. SOCR. Orestem verò putas vnquam manus illaturum fuisse matri, si eam non cognouisset? ALC. Non arbitror. SOCR. Neque enim ille quacumque occurreret mulier, sed matrem suam duntaxat necare decreuerat. ALC. Sunt haec vera. SOCR. Itaque hominibus sic affectis, & in iisdem opinionibus inuolutis, ignorare talia praestat. ALC. Videtur. SOCR.

Proba poetarum rogatio.

De ignorantia bonitate & malitia.

Quae ignorantia mala

Vides iam quod ignorantia quaedam hominibus certò quodam modo dispositis bonum quiddam est, non autem, vt tibi videbatur, malum? ALC. Apparet. SOCR. Praeterea si volueris quod deinceps in medium afferetur mirabile dictu, discutere, fortè probabile tibi videbitur. ALC. Quid istud, o Socrates? SOCR. Videtur sanè caterarum omnium scientiarum possessio, nisi quis scientiam optimam natum fuerit, raro quidem prodesse, obesse plerumque illi qui sit homini scientiis praeditus. Sic autem considera, Nonne necessarium tibi videtur, cum aliquid facturum, vel dicturum sumus, oportere nos prius quidem, vel putare cognoscere, vel verè cognoscere quod promptius agere & loqui debemus? ALC. Mihi plane videtur. SOCR. An non rhetores statim cum vel sciunt consulere, vel saltè scire se putant, consulunt nobis passim, ij quidem de bello & pace, illi verò de mœnibus construendis, vel de portibus praeparandis munientibus, & vt summam dicat, quicquid ipsa ciuitas agit aduersus aliam ciuitatem, vel secum ipsa, rhetori consilio perficit? ALC. Vera narras. SOCR. Vide & quae sequuntur, si fieri poterit. Vocas aliquos prudentes, imprudentes alios? ALC. Voco. SOCR. Et multos quidem imprudentes, prudentes verò paucos? ALC. Profecto. SOCR. Nonne ad aliquid respiciens, utrosque nuncupas? ALC. Imò. SOCR. An eum qui ista consulere norit, nisi sciat docere utrum melius, & quid melius, prudentem dices? ALC. Nequaquam. SOCR. Neque vt arbitror quicumque pugnare norit, ignoret tamen quando, & quantum melius. ALC. Sic est. SOCR. Neque si quis quempiam perimere sciat, & pecunias spoliare, ac exulè à patria facere, nisi sciat et quando & quem melius sit. ALC. Minimè. SOCR. Quicumque igitur horum aliquid nouerit, modò ad sit etiam scientia optimi, quae quidem eadem & uisibilis scientia est, hunc fortè prudentem uocabis. ALC. Hunc ipsum. SOCR. Prudentemque ipsum dicemus sufficientem esse sibi & patriae consultorem, imprudentem verò contra: quidnam tibi videtur? ALC. Idem. SOCR. Quid autem si quis equitare, aut sagittare sciat, vel palastram, vel pugillariam, vel aliud quoddam certamen exercere, aut aliud aliquid eorum quacumque per artem nouimus, quo nomine appellas eum qui intelligit quid in arte melius fiat? an non secundum equestrem artem equitem secundum pugillariam pugilem, tibicinariam tibicinem, atque in alijs eodem modo? an secus? ALC. Sic certè. SOCR. Nunc tibi videtur, qui horum aliquid intelligit, vir prudens appellandus? an longè adhuc abesse? ALC. Longè per Iouem. SOCR. Qualem igitur ciuitatem eam putabis, quae ex peritis sagittarijs, & tibicinibus, athletis, ac cateris artificibus constat, sint insuper admissi militarem callentes artem, & qui ad interimendum prompti, necnon inflati ob ciuiliu rerum administrationes: desit autem optimi scientia, & qui norit quando, & ad quem vnquoque illorum uti praestat? ALC. Ignobilem, o Socrates. SOCR. Maxime hoc vt arbitror diceres, si quando cerneres vnumquonque illorum ambitiosum, & plurimas sibi reipublicae partes in hoc occupantem, vt continuò ipse se superet, & plurimum valeat, plurimum inquam in illa quidem dominandi arte, in eo verò quod sibi & reipublica optimum est, crebro hallucinantem, quippe qui opinioni sine mente crediderit. Cumque haec ita se haberet, nonne rectè diceremus

Paradoxa quaedam.

Scientiarum possessio non sua absque optimi cognitione.

Qui prudens sit appellandus.

remus hanc civitatem tumultibus quamplurimi iniquitatisque plenissimam? ALC. Recte per Iovem. SOC. An non necessarium nobis visum fuit, primum quidem putare nos cognoscere, vel revera cognoscere hoc quod prompte facturi dicitur? ALC. Visum est. SOC. Nonne si quis agit quidem quod novit, aut nosse existimat, addit aut scientiam optimi, sequitur ut vult agat, et sibi, et reipub. ALC. Quidni? SOC. Contra vero nec reip. nec sibi? ALC. Ita est. SOC. Quid autem? nunc tibi ita videtur, an aliter? ALC. Non aliter. SOC. Dixisti vocare te plures imprudentes, prudentes pauciores? ALC. Equidem. SOC. Diximusne iterum plures ab eo quod est optimum, aberrare, ut potest qui opinioni absque mente, ut plurimum consenserint? ALC. Diximus plane. SOC. Prodest igitur multis, neque nosse quicquam, neque putare se noscere: si quidem promptiores erunt ad illa efficienda, quae vel noscunt, vel cognoscere opinantur. Agentes autem, sibi nocent crebrius, quam conferent. ALC. Verissima loqueris. SOC. Cum ergo dicebam reliquas omnes scientias, si absit scientia optimi, obesse sapientis, quam prodesse illas habenti, num recte loqui tunc tibi videbar? ALC. Et si tunc minime, nunc salte, o Socrates. SOC. Oportet itaque civitatem et animam, quae recte victura sit, hanc proculdubio complecti scientiam: quemadmodum qui egrotat, medicum: et qui proferre navigare velit, gubernatorem. Nam quo maiora animi sine hac scientia circa divitias, vel corporis robur, aut aliud tale conabitur, eo maiora ex his peccata committi necesse est. Qui vero multis ac variis artibus, et scientiis ornatus est, sit aut expertus istius scientiae, ductus a singulis alijs, nonne merito multa tempestate iactabitur? quippe cum absque gubernatore oberret in pelago brevi tempore periturus? Huic certe convenire videtur illud poetae carmen, quo quendam vituperans, inquit. Multa quidem noverat: sed male noverat omnia. ALC. At vero id poeta dictum quid concinit? mihi certe nihil videtur proposito nostro congruere. SOC. Imo quadrat penitus, verum per aenigmata, et hic et ceteri ferme omnes poeta loquuntur. Est enim ipsa natura universa poesis aenigmatum plena, nec quisquam eam dignoscit. Ad hanc illius naturam accedit, quod si quando insit in homine invidio, nolente sua sensa ceteris hominibus revelare, mirum est, quam difficile cognitu sit, quod poeta senserit. Neque enim Homerum divinisimum sapientissimumque poetam ignorasse putes, quod scire male impossibile sit: ipse enim est qui inquit, Magna multa quidem scire, male autem scire omnia. sed aenigmatem sensum occultat, ut arbitror, male pro malum ponens, scit autem pro scire: unde compositio quadam extra carminis mensuram conficitur: quod vero sentit, hoc est. Multa quidem scivit, sed malum sibi fuit hac omnia scire. Patet igitur quod si erat illi malum multa scire, ipse quoque malus erat, si qua fides supradictis sermonibus adhibenda est. ALC. Mihi certe videtur, o Socrates. Quibus enim verbis crederem inquam, nisi ijs credam? SOC. Et recte quidem tibi videtur, et mihi rursum eodem modo: sed age per Iovem, vide sine quanta qualis sit in hoc ambiguitas? in hac ipse versatus esse videbis: sursum enim deorsumque iactatus nusquam sane confisus, sed quod olim asseverabas, nunc damnas. Si forte Deus quem oraturus accedis, oculis sese tuis obiectens, antequam vocas, ita roget, an tibi aliquid ex his quae

in principio dicta sunt, habere satis sit, vel tibi licentiam praestet, quod libeat postulandi quidnam tibi opportunum fore putares? vel acceptare, quae Deus offerret, vel postulare? ALC. Per deos, o Socrates, quid respondeam non habeo: sed insanum quiddam mihi videtur, temere Deum precari, ac diligenter considerandum ne quis seipsum fallat, mala petens dum bona se putat orare, ac paulo post, ut tu dicebas, ad contraria vota se transferat. SOC. Nonne prudentior nobis poeta, cuius in principio disputationis mentionem fecimus, qui precabatur mala etiam ab orantibus abesse? ALC. Mihi videtur. SOC. Lacedaemonij quoque, o Alcibiades, siue hunc poetam imitantes, seu ex seipsis animadvertentes, idem votum, tam privatim, quam publice servant, orantes deos, pulchra cum bonis sibi tribuere, nec plura illos precari quis audiret. Neque tamen ad haec usque tempora minus, quam ceteri homines felices sunt. Siquid autem illis inquam minus prosperere successit, non est oratio illorum in causa, quandoquidem in dijs est, ut arbitror, quae precamur, tribuere, vel contra. Volo insuper aliud quiddam tibi referre, quod aliquando a senioribus quibusdam accepi. Dicebant enim accidisse, ut quotiescumque bellum Athenienses cum Lacedaemonijs gererent, nostri tum terra, tum mari infortunati essent, nec victores inquam redirent. Quare perturbatos Athenienses, cum non haberent qua arte tantam calamitatem vitarent, decrevisse Ammonem consulere, quam ob causam dii Lacedaemonijs potius, quam Atheniensibus victoriam largirentur, cum ipsi tamen sacrificia tum plura, tum decentiora, quam reliqui Graecorum offerrent, simulacris donisque templis ornantes, ut nemo alius, pompasque quotannis sumptuosissimas, et venustissimas celebrarent, et omni sumptu, qui ad rem divinam spectat, cunctis Graecis magnificentiores existeret, cum Lacedaemonijs nulla esset istorum cura, adeo circa divinum cultum parcis, ut animalia mutilata passim macerarent, et in alijs omnibus caerimonijs longe admodum parcioribus, quam Athenienses, cum tamen opum magnitudine a nobis non superentur. Posteaquam haec dixisset nuncius, interrogans quo pacto a praesenti calamitate liberari possent, non multa ad haec respondisse prophetam: Deum enim non permittere: accessit vero Atheniensium legato in hunc modum fuisse locutum. Haec dicit Ammon, placere magis Lacedaemoniorum sibi acclamationem, quam reliquorum Graecorum sacra omnia: nec plura ijs respondisse. Acclamationem vero nullam prorsus, aetiam Deus mihi dixisse videtur, quam illorum preces permultum enim illa a ceteris differunt. Reliqui namque Graeci partim auratis cornibus boves sacrificantes, partim donarijs egregijs templis ornantes, quaecumque occurrunt, seu bona, siue mala, a dijs petunt. Dijs vero cum illos imprecantes audiunt, ditissimas illorum pompas, et sacrificia non acceptant. Quamobrem diligenter considerandum mihi videtur, quid dicendum sit, quidque non dicendum. Invenies quoque apud Homerum alia horum similia. Inquit enim Troianos, cum suburbanum aedificium molirentur, dicere dijs immortalibus preciosa sacrificia bonum: nudorem vero ex litore suavem, ad caelum usque ventis extolli: sed beatos Deos illo minime vesci, quippe quibus Ilium, et Priamum, et Priami populus odio esset. Itaque

nil

Est in exem  
plari Graec  
co sine du  
bio locus hic  
corruptus.

Poesis aenig  
matu plena

nil Troianis proderat, cum aduersos deos haberent, sacra ac munera temere illis offerre. *Neq. n. eiusmodi est dei natura, ut ducatur muneribus, quemadmodum improbus faenerator. Sed nos nimium deliramus, si quando nos Lacedaemonijs propter munera acceptiores deo esse ducimus. Etenim graue esset, si deus ad donaria, & sacrificia nostra respiceret potius, quam ad animum, utrum iustus sanctusq. sit. Ad quem equidem Deum arbitror multo magis attendere, quam ad multi sumptus pompas atque sacra, qua nihil prohibet eum, qui multa in Deum hominesq. peccauerit, seu priuatus sit, siue respub. singulis annis perficere. Deus aut. utpote a muneribus incorruptus, spernit hac oia, ut ipse eiusq. propheta praedixit. Vnde perspicuum est, & apud Deum, & apud hoies sana mentis, iustitiam, & prudentiam praecipue honorari. Prudentes aut. iustiq. sunt, qui sciunt, q. erga deum, & hoies agere atq. dicere deceat. Cupio tamen ex te audire, quid in his ipse sentias.* *A.L.C.* Mihi vero, o Socrates, haud secus, quam tibi ac Deo videtur: neq. n. fas esset a Deo me dissentire. *S.O.C.* Recordaris dixisse te in plurima dubitatione discrimineq. versari, ne te ipsum falleres, cum mala quandoq. pro bonis optares? *A.L.* Memini. *S.O.C.* An vides non satis tutum tibi esse ad orandum pergere, nequando te deus audiens imprecante ista tua sacrificia renuat, aliud vero quiddam fortuitu reportes? Mihi ergo videtur operaprecium esse quiete agere: na oratione Lacedaemoniorum propter magnanimitatem, id. n. nomen honestissimum est oium, quibus insipientia significatur, no existimo uti te velle. Quare necesse est expectare, donec discatur quemadmodu ad Deu, atq. ad hoies habere se deceat. *A.L.C.* Quando erit, o Socrates, & quis praceptor? Iucundissime. n. hunc hoem, quisquis erit, agnoscam. *S.O.C.* Hic est cui tu curae es. Verum mihi videtur, quemadmodum Diomedis Mineruam inquit Homerus ab oculis nebulam abstulisse, ut discerneret Deum ab hoie, sic & ab aio tuo prius oportere saliginem, qua nunc offunditur, auferre: deinde illu propius admouere, per qua seu bonum quid sit, siue malu, dignoscas: nunc. n. impos esse videris. *A.L.C.* Auferat seu nebulam ille velit, siue quodcunque aliud. Etenim paratus sum nihil penitus praetermittere, quod ille praeeperit, quisquis deniq. sit, modo ipse sim melior euasurus. *S.O.C.* Atqui ille miru in modum tibi prouidet. *A.L.C.* In illud itaq. ips hoc sacrificium differre optimum fore censeo. *S.O.C.* Et recte quidem: tutius. n. est, quam tanto periculo se subicere. *A.L.C.* Sic est, o Socrates. Interea tamen quoniam mihi bene consuluisse videris, hanc tibi coronam imponam. Dijs autem & coronas, & reliqua oia quaecunque decet, tunc demum offeremus, cum diem illam aduentasse cognouero. Aduentabit autem quamprimu, dijs volentibus. *S.O.C.* Accipio & hoc, & quodcunque datum abs te mihi praeterea fuerit libenter video, cum abs te accipi. Quemadmodum vero Creon apud Euripidem videns Tiresiam coronatu, & audiens primitias coronam propter artem a militibus accepisse, ait, Augurium esse ducebam triumphales coronas, in tempestate. n. versamur, ut ipse nosti: sic & ego hanc abs te coronationem augurium esse duco. Videor autem mihi non minori, quam Creon tempestate iactari, studeoq. omnium amicorum tuorum victor abire.

Apud deos  
& apud ho  
mines iusti  
tiam & pru  
dentiam ho  
norari.

Qui pruden  
tes & iusti  
sunt.

Magnani  
mitas nome  
est honestis  
simum insi  
pientia.

## MINOS, VEL, DE LEGE.

MARSILII FICINI  
ARGVMENT.



MINOS de lege requirit, ut quid lex commu  
niter, quot eius species, unde sit, paucis com  
prehendamus. Si quis Platonis verba in hoc li  
bro De lege, & in libris De legibus, necno De  
repub. diligenter aduertat, sic legem vniuersali  
definitione describit: Lex est vera gubernandi  
ratio, quae ad finem optimum per commoda me  
dia gubernata dirigit, transgredienti paniam, obediendi praemium  
statuens. Quo sit ut institutiones principum, cum vere non sunt,  
nec ad optimum recto calle proficiscuntur, leges minime sint, sed de  
creta, edicta, instituta potius sint, quam leges. A lege namq. legiti  
mum, a legitimo iustum, a iusto bonum, rectum, verumq. opus se  
penumero nominatur, propterea legem vera bonamq. esse necesse est.  
Sequitur etiam, ut lex aeterna sit, ac penitus immutabilis, & apud  
omnes gentes eadem de eisdem, si hoc modo vera sit: nam quae tem  
poribus locisq. & opinionibus permutatur, non lex, sed institutio nu  
cupatur. Legu autem species, ut ex Timaeo, Phaedroq. & Gorgia  
colligitur, quattuor sunt. Prima diuina, quam prouidentiam Pla  
to vocat. Secunda caelestis, quam satum. Tertia mouens, quam na  
turam. Quarta humana, quam prudentiam naturalem. Prima in  
mente diuina, quam Saturni legem Orpheus, & Plato esse voluit.  
Secunda in superiori anime mundi parte, quam Iouis. Tertia in mo  
uente inferioriq. illius potentia, quam prima Veneris. Postrema in  
hominis mente, quam secunda Veneris legem vocant. Prima a sum  
mo bono, quod supra mentem est, profuit. Secunda a mente & sum  
mo bono. Tertia a summo bono, mente, & vniuersali aia. Quarta  
a summo bono itidem, & mente & anima. Omnes vero ad ipsum  
bonum iterum reflectuntur. Prima in ideis, circa summum bonum,  
supra rationes. Secunda in rationibus, circa ideas, supra semina.  
Tertia in seminibus, circa rationes, supra formas. Quarta in no  
tionibus, circa rationes, super actus & artes, quam regiam legem  
appellant superni regis imitatricem. Vnde vero lex proficiscatur,  
ex his quae dicta sunt elicitur. Ab ipso quippe rerum principio omnes,  
sed vario modo, ut dictum est, manant. Quamobrem omnes illu  
stres conditores legum, inuentionem legum in Deum, sed per diuersa  
nomina atq. media retulerunt. Zoroaster Baetrianus. Persisq. leges  
tradens, in Horomafim. Trismegistus Aegyptijs, in Mercurium.  
Moyse Iudaeis rectissime in patrem totius naturae Deu. Minos Cre  
tensibus, in Iouem. Charondas Carthagenensibus, in Saturnum.  
Lycurgus Lacedaemonijs, in Apollinem. Draco & Solon Athenien  
sibus, in Mineruam. Pompilius Romanis, in Aegeriam. Mahome  
tus Arabibus, in Gabrielem. Zamolxis Scythijs, in Vestam. Plato  
noster Magnesium & Siculis, in Iouem, & Apollinem. Arcadibus  
autem, & Thebanis, & Cyrenaicis leges postulantibus, denegauit.

Quid lex.

Spes legu  
quattuor.

### SOCRATES, MINOS.



VIDNAM lex apud nos est? *M.I.* De qua  
lege interrogas? *S.O.C.* Est ne aliquid quo  
lex a lege secundum quod lex est, differt?  
Aduerte plane quid quaeris. Sic. n. interro  
go, ac si dica, quid est aurum: & si tu eode  
modo, de quo auro gram roges, haud recte te percontari  
censerem. *Neq. n. aurum ab auro, quia aurum, neq. lapis,  
quia lapis a lapide quicquid differt: eodemq. modo lex a le  
ge nil discrepat, sed ois ide sunt. Etenim lex vnaqueq.  
illarum similiter est, nec vna magis & alia minus. De  
hoc ipso igitur vniuerso, quid lex est, generati interrogo,  
quod si in proptu nuc habes, explica. *M.I.* Et quid aliud  
lex, o Socrates, esset, quam lege recepta & approbata? *S.O.*  
An sermo tibi videtur ea esse q. sermo dicitur, vel visus  
q. videtur, vel auditus q. audiuntur? aut aliud sermo, a  
liud pronuciata, aliud visus, aliud visa, et auditus simili  
ter atq. audita, necno lex aliud, aliud rege recepta? Sicne,  
an aliter tibi videtur? *M.I.* Sic. *Vig.* *S.O.* No ergo lex est,  
qua lege recepta. *M.I.* Non videtur. *S.O.C.* Quid itaque  
sit lex*

Quam iter  
rogamur  
simpliciter,  
no recte du  
bitari de es  
qd est part.

Colligunt  
definitio  
translationem.